



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 266. Signantes lapidem cum custodibus. v. 66.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

sepulchrum; ne inde vel furto tolli vel exire ipse possis, ego verò credo omnipotentiam tuam & amore tui illectus aliter cupio te in sepulchro manere, nempe cordis mei, & rogo te piissime ne inde vel exire velis vel cogaris, ideo studebo munire omni custodia cor meum, & undique vallare virtutibus, Tu succurre, tu iuua, tu da gratiam adhæc obsecro, vt nunquam cor meum vel deserere velis vel elongari ab ipso Deus meus.

§. 266. *Signantes lapidem cum custodibus. v. 66.*

Vt igitur nulla remaneret suspitio vel occasio suffurandi corpus Iesu siue per milites custodientes, siue per discipulos Christi, ad mōtum lapidem grandē ad ostium monumenti sigillo ciuitatis vel senatus & manibus quidem proprijs munierunt, & apposuerunt custodiam militum præcipientes vt vigilarent diu noctuque nec permitterent vlli accessum.

Cæci! sicine putatis infringere potestatem & virtutem diuinam, vt lapide sigillato non possit operari quando voluerit? dixit ille & facta sunt omnia, dixit fiat lux & facta est, fiat firmamentum & stellæ, & omnes creaturarum species, & factæ sunt ad verbum eius, & non creditis, quod ad verbum eius, aut voluntatem solum hic lapis resulter, & locum dabit creatori suo resurgenti; aut non creditis illum, per quem omnia sunt, non habere virtutem se excitandi à morte? in cuius ergo virtute excitauit Lazarum quadriduanum & iam fœtentem? potuit ipse in alio exercere suam virtutem, in se non poterit? Erratis, nonne dixit tertia die resurgam, ad quid ergo custodiam ponitis, & lapide sigillato impedire conamini eius resurrectionem; nolite in eum finem sic eum custodire, male etenim sic custoditis, & contra omnia potentem frustra laboratis.

**B**one Iesu malitiose te custodire cupiunt Iudæi, ego sincero mentis affectu cupio te & bene custodire in sepulchro cordis mei primum præsentem per gratiam iustificantem, deinde specialissimè per Sanctæ Eucharistiæ participationem, denique per gloriæ concessionem post hanc vitam, quis mihi dabit tale sigillum & gratiam vt semel positum in corde meo sic te custodiam, vt inde exire non possis; sed maneat æternum? Nemo Domine nisi tu qui solus potes: pone ergo te vt signaculum super cor meum.

## RESURRECTIO DOMINI N. I.

Christi secundum Matthæum.

§. 267. *Vespere autem Sabbathi que lucefcit in prima Sabbathi. v. 1.*

**Q**uid Euangelista per tempus vesperearum Sabbathi indicare voluit? nisi quod vespere Sabbathi hoc est iam præterito Sabbatho Paschalis festi,